

*Me penes est omnis vitæq̄ necisq̄ potestas,  
Cum baculum frango per duo membra meum.*

### Triumvir capitalis. Profos.

**A** Spera cum nostras vicit petulantia leges,  
Militis improbitas cordaq̄ vicit atrox.  
Hunc ego mox laqueis compesco potentibus usus,  
Atq̄ truces valida compede vinco manus.  
Donec rem vigilans examinet arbiter omnem,  
Libret et ex omni parte seuerus opus.  
Omnia mercator quæcunq̄ cibaria passim,  
Militibus fessis in mea castra vehit.  
Aestimo sorte sua, quanto mercabilis ære  
Copia frumenti, copia sitq̄ meri.

### Lictores militum. Stäckenrecht.

**P** Rincipis imperio nostri paremus ouantes,  
Quicquid et hic oculis innuit efficimus.  
Miles atrox quando rumpit sacra vincula legum,  
Nobile fulmineo iusq̄ sub ense gerit.  
Ilicet hunc rapimus, plateasq̄ rotamus in omnes,  
Vsq̄ nigri veniat carceris ante fores.  
In quibus occlusus debet sperare salutem,  
Frangat is officio vincla quousq̄ pio.  
Aut rem discutiat Iudex, et tempora quærat,  
Mortis ab aduerso liberet atq̄ metu.

### Curia quæ senatores militum deligit.

#### Die Gerichtsleut.

**C** Vria quæ vario hominum benè pōderat actus,  
Iudicibus nobis omnis aperta patet.  
Pectore discutimus causas vigilanter aperto,  
Cunctaq̄ iudicio candidiore damus.